

Resp. plane negando. etenim cognitio causarum
recta ad Dei cognitionem & venerationem du-
cit, & potius atheismus oritur e causarum igno-
rantia, scilicet atheus nescit dare rationem origi-
nis animæ & corporis sui, hanc enim si dare vult,
non potest non simul Deum admittere.

V. *quod astutia imperantium opinionem de Deo
credulis persuaserit.* Resp. negari nequit, impe-
rantes sæpe religione abusos esse ad stabiliendam
suam auctoritatem, posthabita subditorum salu-
te; nisi tamen religio fuisset fundata in ratione,
nunquam tamdiu glaucoma sapientioribus ob-
jecissent.

VI. *quod omnia fortuito sint facta, hominesque
instar plantarum e terra orti.* Resp. nil stolidius
dici posse, quam quod entia fortuito exstiterint,
sane concipi nequit, quomodo corpus plantæ,
ne dicam animalis tam artificiosissime casu com-
poni potuerit. Quod autem homines initium
habuerint, & a paucis primum a Deo productis
ortum traxerint, sequentes adstruunt rationes, (1)
quia, si olim e terra homines fungorum more orti,
nulla indicari possit ratio, quare & hodie non eodem
modo gignantur, (2) quia ex historiis palam est, ge-
nus humanum successive auctum esse.

VII. *quod cum Deo creatore, quem sapientem, ju-*
stum ac benignum credamus, conciliari nequeant
sequentia: videl. (1) quod terra tam irregularis
multisque in locis sterilis sit condita, (2) quod tot
noxia sint creata animalia, (3) quod bonis male &
malis bene sit. Resp. ad primam ac secundam ob-
jectio-